

I. Viæ *Cometarum*, secundum hypothefin quæ statuit illos cursu suo Parabolam circa Solem describere, per *Nicolaum Struijck*, R. S. Lond. S.

Presl. April 6. 1749. **I**ndagationem cursus cometarum ex præ-

cipuis astronomiæ sublimioris partibus esse, nemo hodie astronomorum in dubium vocaverit: postquam vir summus *Isaacus Newtonus* ante annos LXIII in lucem edidisset celebratum problema de via cometarum per tres observationes accuratas inveniendâ ex hypothefi, illos cursu suo parabolam circa solem describere, hac methodo usus *E. Hallejus* vias XXIV cometarum per calculum determinavit in tabella, quæ reperitur in *Transactionibus Philosophicis* N. 297. p. 1886. et in *Actis Eruditorum* anni 1707. p. 216. Revera autem sunt XXI cometæ diversi. Quanto labore id constiterit, docent ipsa *Halleji* verba, qui “ undique enim, inquit, conquistis cometarum observationibus tabellam, immensi pene calculi fructum obtinui.” Non opus est ut demonstrem, quam necessâria sit ista tabella seculis venturis; sufficiat testimonium autoris modo citati; “ Huic tabulæ adornandæ nullis peperci laboribus, ut perfecta prodiret; utpote posteritati consecrata; ac cum scientia astronomica duratura.”

Tanti viri vestigio infecutus eadem methodo alios XVIII cometas, qui in illa tabula non reperiuntur, undique conquistos annotavi, eo consilio ut tandem singulorum tempus periodicum inveniri posset. Ne vero istæ observationes de viis cometarum casu aliquo
M perirent,

perirent, illas nunc in publicam lucem emittere decrevi, simul officii mei esse ratus indicare quinam illas calculo arithmetico accommodaverint. Via cometarum anno 1723, et 1737, per calculum determinata est a *J. Bradley*. via cometarum 1744, a *J. Bets*. via cometarum 1699, 1702, et 1739, ab *Abbate de la Caille*. via secundi cometæ 1793, a *D. Klinkenberg*; via secundi Cometæ anno 1796, a *des Chezeaux*; primi Cometæ anni 1798, a *Maraldi*. Cumque ipse tempore excluderer, observationes Cometarum conspensorum annis 1533, 1678, 1718, et 1729, cum *C. Downes* calculo subjiciendas communicavi. Cometæ vero ann. 1706, 1707, 1742, primum anni 1743, et secundi anni 1748, ipsemet ad calculum revocavi: quin etiam haud variis rationibus ductus, existimo, ejusdem anni 1748, mense *Mai*, et hic *Amstelodami*, et aliis *Europæ* locis, simul et eadem nocte tres cometæ conspici potuisse; cujus rei in historiis nullum aliud indubitatum exemplum extat. Addidi etiam Cometam exitu anni 1680, et initio anni 1681 conspectum; quia in postrema *Is. Newtoni* editione emendationes leguntur, per quas ellipsis, quam circa solem movendo descripsit, determinatur.

Nunc etiam indicandum esset, quantum theoria singulorum Cometarum ab observationibus differat; sed brevitati studens hanc tractationem alii scripto, cujus editionem paro, servare malui, illud unice monens; ex xxxi observationibus, quas habeo, Cometæ ann. 1742, conspecti, esse xxii quarum longitudines vix unico minuto inter se differunt, et xxiii, quarum latitudines ne minuto quidem differunt.

Sequuntur viæ xix Cometarum, quorum supra facta est mentio.

Tempus

Tempus Equationis Perihelii Londini.			Nodus Ascenf.			Inclinatio Orbitæ.			Perihelion in Orbe.			Dif. Perih a Sole.		Motus	
An.	d	h	o	′	″	o	′	″	o	′	″	o	′	Part.	
1533 Junii	16	19	30	0	0	5	44	0	35	49	0	Ω	27	16	Retro.
1678 Augusti	16	14	3	0	0	11	40	0	3	4	20	☿	27	46	Dir.
1699 Januarii	2	8	22	10	0	21	45	35	69	20	0	♁	2	31	Retro.
1702 Martii	2	14	12	19	0	9	25	15	4	30	0	♁	18	41	Dir.
1706 Januarii	19	4	56	0	0	13	11	23	55	14	5	♁	12	36	Dir.
1707 Nov.	30	23	43	6	0	22	50	29	88	37	40	♁	19	58	Dir.
1718 Januarii	4	1	14	55	0	7	55	20	31	12	53	♁	1	26	Retro.
1723 Sept.	16	16	10	0	0	14	14	16	49	59	0	♁	12	15	Retro.
1729 Junii	12	6	35	91	0	10	35	15	77	1	58	♁	22	16	Dir.
1727 Januarii	19	8	20	0	0	16	22	0	18	20	45	♁	25	55	Dir.
1739 Junii	6	9	59	49	0	27	15	14	55	42	44	♁	12	38	Retro.
1742 Januarii	28	4	20	50	0	5	34	45	67	4	11	♁	7	33	Retro.
1742 Decemb.	30	21	15	16	0	8	10	48	2	15	50	♁	2	58	Dir.
1743 Septemb.	9	21	16	18	0	5	16	25	45	48	21	♁	6	33	Retro.
1744 Februarii	19	8	27	0	0	15	45	20	47	8	36	♁	17	12	Dir.
1747 Februarii	17	11	44	38	0	26	58	27	77	56	55	♁	10	5	Retro.
1748 Aprilis	17	19	25	41	0	22	52	16	85	26	57	♁	5	0	Retro.
1748 Junii	7	1	24	15	0	4	39	43	56	59	3	♁	6	9	Dir.
1680 Decemb.	7	23	9	0	0	2	2	2	61	6	48	♁	22	44	Dir.

Distantiæ autem Periheliæ æstimantur in ejusmodi partibus, quales mediæ distantiæ terræ a sole habet centies millenas.

II. Epistola à *Job. Jacobo Hubero* M. D. ad *Cromwell Mortimerum* R. S. Secret. de *Cadavere aperto, in quo non extitit Vesica fellea; et de Sterno gibboso.*

Read April 6
1749.

NON sine aliquo literario munusculo ad te celeberr. *Mortimere*, adire fas est, virum humanissimum quidem, sed eundem etiam talium rerum avidissimum, quibus a iqua pars illius cognitionis contineatur, in qua augenda et publicanda illustrissima Societas, cujus tibi acta commissa sunt, elaborare solet. Superest, ut hic aliquid invenias ab illo instituto non abhorrens. Vult certe aliquem tibi gustum quasi dare, quid, præter scopum primum, fabricam corporis humani docendam Medicinæ, Chirurgiæ præsertim studiosos, spectare in quotidianis cadaverum humanorum sectionibus, in *Theatro Collegii* apud nos *Carolini* institutis, consueverim, et cujus generis observationes expectari porro, ut in rebus humanis, a me possint.

Observationes autem e pluribus duas hic speciminis et gustus causâ breviter describam, unam quæ vitiatam, eoque ipso singularem sistit partis corporis humani structuram, simulque usum arti salutari præstare nonnullum videtur; alteram, quæ œconomia corporis nostri singularem præbet mechanismum, quo etiam physiologorum discrepantes de bile cystica sententiæ